

No. 597. 1369. 26. Nov.

*Probst und Capitel entscheiden einen Streit zweier Domherren wegen näheren Anrechts zum Aufrücken in den Präbenden.*

Nos Henricus praepositus, Nicolaus decanus, totumque capitulum ecclesiae Misnensis notum facimus — quod cum inter honorabiles viros dominos Martinum de Turgoû ex una et Johannem Kûchemeister nostros concanonicos parte ex altera materia quaestionis super prioritare gradus sive ordinis assequendi obedientias sive portiones ecclesiae nostrae praedictae fuisset exorta, ipso domino Martino asserente se debere fore in huiusmodi potioem, ex eo quod praebenda maior, quam in ecclesia nostra obtinet, prius et antequam ipse dominus Johannes praedictus praebendam suam assequeretur, fuisset ex provisione sedis apostolicae assecutus, ipso vero domino Johanne e contrario proponente, quod cum sibi prius et ante ipsum dominum Martinum praedictum praebenda sua maior esset per decanum et capitulum nostrum assignata, ideo ipsi domino Martino in antiquitate et prioritare gradus et ordinis praedictorum deberet merito iuxta ecclesiae nostrae consuetudinem anteferri. Nos vero propter bonum pacis et concordiae partes nostras interposuimus et perpensis cum diligentia ecclesiae nostrae consuetudinibus ordinandum duximus et ordinavimus, quod praefatus Johannes Kûchemeister in gradu et ordine ad obtinendum in ecclesia nostra obedientias sive portiones et ceteris omnibus, quibus solet quilibet noster concanonicus praebendam maiorem ex assignatione decani et capituli prius assecutus, iuniori canonico utpote simili praebenda praebendato de ipsius ecclesiae nostrae consuetudine praeferrri, praedictum dominum Martinum praecedere debeat et in huiusmodi iuxta consuetudinem eandem esse prior[em], et secundum hoc ipsum Johannem tanquam in huiusmodi potioem sibi in his omnibus praeferrendum duximus et praeferrimus harum testimonio literarum, quibus in testimonium sigillum capituli nostri duximus appendendum. Actum et datum Misnae anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.LXIX<sup>o</sup>. vicesima sexta die mensis Novembris.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Capitels an einem Pergamentstreifen.

No. 598. 1369. 29. Nov.

*Probst und Capitel verfügen, dass dem Vicar des Altars Petri und Pauli in der Domkirche bestimmte Geldzinsen von gewissen Aeckern in Cölln durch den Vorsteher des Hospitals unweigerlich zu gewähren seien.*

Nos Henricus praepositus, Nycolaus decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis recognoscimus, quod in parte agrorum sitorum in pago villae dictae Colne, quos bonae memoriae dominus Johannes de Liczenitz rector hospitalis in Misna proxime nunc defunctus ad tempora vitae suae habuit quique per eius mortem eidem hospitali vacaverunt, altarista altaris beatorum Petri et Pauli apostolorum in ecclesia